

B



21

EXERCITATIO
M E D I C A
TRIGESIMA SECVNDA.

In almâ Argentoratensium Aca-
demiâ proposita:

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO
juniore, Doctore ac Pro-
fessore Medico:

Respondente
JOHANNE JACOBO SEÛBERTO,
Durlaco - Marchico.



ARGENTORATI,
Typis exscribemat Joannes Andrea.

Anno M. DC. XX V.



PROBLEMA I.



Uid de rationibus contra foemineum semē ultimo problemate præcedentis Exercitationis in medium prolatis sentiendum? In confesso est, Aristotelem voluisse, foeminam nihil ad generationem, præter menstrū & locum, ipsam scil. matricem, conferre. Id enim ex l. I. gen. an. c. 19. & 20. liquet. Verūm ad primam ejus rationem respondemus dupliciter. I. duas ἀπορίσεις uno eodémq; tempore in muliere non fieri: sed temporibus diversis: spermaticam quidem in aētū congressūs & conceptionis: menstruam verò, quæ sanguinea, post primam partium spermaticarum delineationem. II. falsum esse, menstruum ἀπόρσιον esse σπερματικόν. Aristoteles quidem hoc pro confesso ponit, & l. I. gen. an. c. 19. menstruum ἀνάλογον semini statuit: c. verò 20. eiusdem libri menstruum σπέρμα ἰκαθαρὸν, ἀλλὰ δεόμενον ἐργασίας, appellat. Imò ibidē semen in menstruo esse hac quoq; ratione confirmat: quoniā quā atate maribus semē fieri incipit, eā etiam foeminis menstruum erumpit: quasi simul ea loca distendantur, quæ utrumq; recipiunt excrementum. Sed nihil seminis menstruo inesse, primū inde constat, quia ipsemet Aristoteles loc. alleg. dicit, foeminam esse ὡσπερ ἄρρεν ἄγονον, veluti marem semine privatum. Deinde, quia idem c. 19. lib. cit. scribit, fluentibus mensibus ut plurimum foeminas non concipere: quòd vis masculéo inherens semini à copia illorum obruitur, aut genitura masculina unā cum mensibus eluatur. Atqui durante eorū fluxu maximè conciperent, si quid spermaticum in se continerent. Essent enim conceptionis materia. Tertio, quia menses nullā cum voluptate, ut semen, excernuntur: imò in non paucis magno cum dolore fluunt. Quarto, quia cessante menstruo-

rum fluxu, nihilominus persistit in fœminis collectio seminis: quod etiã cum iucunditate quinquagesimũ etatis annum egressæ emittunt. Quintò, quia si vis seminalis inesset menstruo, sanè ob eius effluxum etiam fœmina debilitarentur, sicut debilitari mares ob seminis emissionem comperimus. At tantùm abest, ut debiliores inde fiant, ut etiam maximè leventur: sarcinã, quã gravabatur natura, exoneratã. Sextò, quia prepararetur, elaboraretur, perficeretur, & contineretur in vasis seminarijs. At menstruum nil commercij cum hisce vasis habet: sed per propagine venæ cavæ in uterum eiúsq; cervicem insertas evacuatur. Ultimò, quia si semini esset ἀνάλογον, hoc est, rude, impurum & imperfectum semen, utiq; etiam seminis in modum cum aliquo saltu & voluptate emitteretur: quod tamen falsum esse mulieres testantur omnes. Ad secundam respondemus dupliciter. Primũ ad membrum prius. Conceptionem sine voluptate fieri negamus: & ad testimonium fœtarum provocamus. Propterea enim tam exquisitum sensum genitalibus natura indidit, ut fœmina nonimēstris gestationis, quæ gravis & laboriosa: partûs, qui diris cruciatibus molestus, sæpèq; exitiosus: editi deniq; fœtus nutritionis & educationis, quæ curarum & sollicitudinis plenissima, oblita, in maris ruerent amplexum, & speciem continuarent. Deinde ad posterius. Quòd etiam voluptatis æstro percita mulieres nihilo magis quandoq; concipiant, non in causa seminis est absentia: sed vel vitium uteri in temperie & conformatione: vel seminis dyscrasia: vel menstrui defectus, aut excessus: vel culpa in maris genitura latet: vel alia causa subest. Ad primum verò argumentum Aristotelis sequacium dicimus, committi fallaciam παρα τὸ ἀπλῶς. Non enim per omnia mulieres pueris similes sunt: sed tantùm in quibusdam. Nam instar puerorum vocem exilem tenuemq; edunt: pilos habent molles: glabro, humido mollig; sunt corporis habitu pradiæ: pusillanimes: in lachrymas pronæ: molestiarum impatientes: in iram faciles. Differunt autem à puerulis, tum in alijs multis, tum vel imprimis etiam in eo, quòd ijs supersint reliquia sanguinis, ex quibus generatur semen, puerulis nequaquam: quoniam sanguis partim ad nutritionem, par-

tim

tim verò ad accretionem corporis absumitur. Ad secun-
 dum. Licet foeminis semen concedatur: non tamen inde
 infertur, eas citra maris coitus factum concipere posse. Debi-
 lius enim est, quàm ut per se solù, sine præsentia masculi seminis,
 generare queat. Porro ad locum Aristotelis l. i. gen. an. c. 20.
 dicimus, Philosophum forsàn menstruum album cum semine
 confundere. Illud enim uteri est impuritas, vel in ipsomet utero,
 ob vitiosam eius dispositionem, genita: vel aliunde ad ipsum dela-
 ta: & revera non omnibus accidit: sed duntaxat ijs, quæ ob tem-
 peramenti frigiditatem & humiditatem superfluis & excrementi-
 tjs humoribus scatent. Hoc verò non ab utero excernitur: sed in
 uterum à vasis ejaculatoris defertur: idq; in omnibus mulieri-
 bus, quæ sanitate fruuntur, cujuscunq; etiam sint temperamenti.
 Quod Philosophus addit, humorem illum aliquando ita copio-
 sum esse, ut semen longè excedat, dicimus, intelligendum rursùs
 hoc esse de menstruo albo, quod aliàs etiam $\rho\epsilon\sigma\ \gamma\upsilon\upsilon\alpha\upsilon\alpha\iota\epsilon\iota\omicron\varsigma$, fluxus mu-
 liebris, vocatur. At hoc non infringit semen foemineum. Idem
 sentimus de argumento tertio. Victus enim rationem facere,
 ut plus minusue eius humoris excernatur, libenter concedimus.
 Sed & victum atq; pharmaciam facere asseveramus, ut semen in
 majori, minoriq; quantitate emittatur. Quartum argumen-
 tum eiusdem valoris est cum præcedentibus. Putat Philosophus,
 semen propterea foeminis deesse, quòd in $\delta\iota\mu\iota\alpha$ conjugali nihil il-
 lius per genitale excernant, sicuti mares. Sed debuisse meminisse
 definitionum à se, tum l. i. gen. an. c. 2. tum l. i. hist. an. c. 3. posi-
 tarum. Mas quippe id animal est, quod in alio gignit: foemina,
 quod in se ipso: vel mas est, quod in alterum prolificum semen mit-
 tit: foemina, quod in se ipsum. Vt enim foemina maris semen re-
 cipit in uterum: sic semen proprium in eundem quoq; effundit.

I I.

An foemineum semen sit foecundum & prolificum?
 Galenus l. 2. de em. c. 1. scribit, quosdam olim nullum planè fœ-
 mineum semen admisisse: ut Aristotelem, Herophilum &

A 3

Athe.

Athenæum: nonnullos admisisse quidem; at id prorsus sterile & infæcundum credidisse. Ipse utrumq; affirmat: & semen mulieribus inesse: & vim prolificam in se continere. Prius probat autoritate, sensu, & ratione. Autoritatem allegat Hippocratis ex l. 1. περὶ γυναικῶν & l. 1. περὶ φύσεως παιδ. in quorū libellorū principio utriusq; seminis, virilis & muliebris, fit mentio. Hoc deinde ipsum etiā sensum & in hominibus & in brutis ostendere monet. Visum inquit, in viduā, quæ uterinis vexabatur morbis, semen prius in matricem effusum: deinde ex eā forās emissum: & quidē crassum atq; copiosum: idq; cum voluptate, ut ipsamet referebat, non paruā. Cernimus in fœminis omnibus vasa spermatica, testes, & vasa deferentia. Deprehendimus non solum in hisce vasis: verū etiam in matrice, aliquando & in cervice eius, humorem albicantem, qui nil aliud, quàm sperma. Experimur fœminas nocturnas pati pollutiones, non secūs ac mares. Audimus, eas etiam sine maris congressu semen excernere, cū eo vasa abundant. In brutis, cū in Venerem stimulantur, seminales mestus semine maximè plenos deprehendimus: vacuos contra, cū coe-runt. Non parvam etiam spermatis abundantiam in ijs reperi-mus, quæ jam dudum conceperunt & gravida sunt. Rationem verò reddit duplicem. I. quia fœmina in Venerem incitantur: id quod non nisi seminis causā fieri potest. Nam quæ semine ca-rent, minimè uruntur. Testes sunt puella infra pubertatem con-stituta, vetula, alia, quibus vel morborū, vel aliarum causarum ratione genitura deest. II. quia liberi non tantū patri, sed & matri similes inveniuntur. Posterius verò hoc ipso argumento, ex natorum similitudine desumpto, confirmat. Maxima est Ari-stotelis & Athenæi, semen instar agentis, opificis & efficientis esse: menstruum verò instar materiae. Et nemo est, qui nesciat, formantis officium esse, alterutri ex parentibus similem, vel dissi-milem fœtum reddere. Hoc quoq; notorium, fœtum aliās patri, aliās matri similem esse. Hinc sic argumentari licet. Similitudo hæc (loquimur de similitudine effigiei: non sexūs: non speciei) aut proficiscitur à solo semine maris: aut à solo menstruo fœminæ: aut à causā communi, ab utroq; parente manante. Non primū: quia

quia nati perpetuò similes essent patri. Non secundū: quia semper referrent matrem. Ergò tertium. Ergò semen causa illa communis est. Ergò, quia semini competit ratio opificis, utriusq; parentis semen efficax est & prolificum. Athenæus, cum videret, validissimum argumentum esse id, quod à spermaticis mulierum vasis petitur, quæ frustra condita minimè audebat dicere, hoc κρησφύελον commentus est: quòd, licet semen in mulieribus cernatur, infœcundum tamen sit: quia vasa earum spermatica eodem modo se habeant, quo mamma virorum. Quemadmodum enim hæc situ quidem & externâ formâ mulierum mammis similes sunt: lac autem minimè producant: sic seminalia mulierū vasa virorū quidem vasis similia esse dicebat, quo ad structuram & formationem: non autem quo ad usum atq; officium: quia circa confectionem seminis neutiquam sunt occupata. Verum respondet Galenus loco allegato, maximam harum partium esse disparitatē, & propterea Athenæo fidem nullo modo adhiberi debere. Nam mamma viriles regulariter neq; glandulosa habent corpora, ut muliebres: neq; ut illæ, lactificant: ideòq; & formâ, & usu à muliebribus differunt. Vasa autem spermatica mulierum non formâ modo cum virorum conveniunt: sed etiam usu: quoniam in ijs semen regulariter contineri videmus. Itaq; Galenus concludit, & semen fœminis inesse, & prolificâ pollere facultate. Quod posterius ex abundantibus sequentibus planum facimus medijs. I. quia eodem modo conficitur in fœminâ, quo masculeum in mare. Preparatur enim eius materia in vasis 4. spermaticis: elaboratur in corpore varicoso, (si adsit) & testibus: tandèmq; ubi perfectum, per vasa ejaculatoria ad uterum, generationis nostræ agrum, defertur. II. quia non secus, ac masculeum, ex duplici sanguine, venoso scil. & arterioso, conflatur. Illum enim venæ duæ spermaticæ: hunc verò ambæ arteriæ spermaticæ subministrant. III. quia spumosum est, calidum & spirituosum, quamvis minùs, quam masculeum. Ex spirituosum enim sanguine constat: & veluti cum saltu excernitur. Duplicem quoq; substantiam habet: alteram spirituosam, quæ propter tenuitatem invisibilis: alterâ humoralem, quæ illius crassamentum est & corpus, quæq; oculis videtur, manibus

nibus palpatur, naribus percipitur. Illa instar forma, & principi
 py activi se habet: hæc materia & principy passivi vicem tenet.
 Illa portio eius est nobilissima: quia velut anima: hæc nobilitate
 longè cedit. IV. quia mater epileptica prolem ut plurimam epi-
 lepticam, phthisica phthisicam, calculosa calculosam, arthritica
 arthriticam, elephantica elephanticam gignit: id quod sanè semi-
 nis, non sanguinis menstrui ratione fieri credendum. Non enim
 sanguis iste, sed omninò semen singularum partium ideam in se
 continet. V. quia formatio & specificatio à semine proficiscitur:
 ut est in confesso apud omnes. Sanguis enim menstruus materia
 duntaxat nutritionis est. At nutrimentum magnas quidem alte-
 rationes, tum in animalibus, tum in plantis parit: verum speciẽ
 mutare nequit. Nam persica, v.g. arbor, inquit Galenus l. 2. de
 sem. c. 1. in Aegyptum translata, formã minimè mutat: sed bonũ
 alimentũ naçta, quo prius carebat, fructum duntaxat esui aptũ,
 sũm talis ferax non esset antea, profert. Similiter neq; oves
 mutato pabulo, capris, quæ prius eo vescebantur, similes evadunt:
 neq; capra ovibus, aut asinis, aut equis. Semen autẽ non tantũ
 accidentia corporis variat, ut alimentũ: sed speciẽ ipsam mutat.
 Id quod Galenus eleganti exemplo demonstrat, quod à cõmittio-
 re animalũ diversarũ specierũ petitũ, & ab ipsomet Athenæo
 suppeditatũ. In hæc enim commistione fætus peculiare aliquid
 accipit à matre, non tantũ in colore, & qualitatibus alijs, quæ par-
 vi sunt momenti, & solius materiae alimentariae, non etiã forma
 animalũ affectiones: sed quod à matre in his provenit, tale est, ut
 speciẽ ipsam mutet. Etenim si asini semen exceperit equa, fætus
 sanè non solum patris, sed ex utrisq; mistã speciẽ præ se feret. Si
 canis vulpẽ inierit, quod nascitur, non canẽ, sed mistũ ex utrãq;
 specie animal erit.

I I I.

Quæ argumenta contra prolificam muliebris fe-
 minis virtutem proferantur? Probavimus hæctenus, & fe-
 minas semen colligere, & id fæcundũ esse. At fuerunt viri
 docti,

docti, qui cum existentia feminei seminis negare non possent, dicere minimè erubuerint, illud merè passivè, & ut materiã tantum, in quam viri semen agat, ad generationem hominis concurrere. Pro cuius sententiæ confirmatione facit partim authoritas partim ratio. Authoritas sit Aristot. Nam l. i. gen. an. c. 20. scribit, marem præbere formam & principium motus: fœminã corpus atq; materiã. Et maris semen simile esse coagulo, aut succo, qui spissandi cogendiq; principiũ habet: id verò, quod fœmina offert, lac ipsum, quod concrevit, representare. Ut enim coagulũ agit: lac verò patitur: ita semen masculũ agit in id, quod confert fœmina. Propterea idẽ Philosophus ibid. dicit, *marẽ õs κινῆν καὶ ποιεῖν*: fœminam autẽ *õs παθητικὸν* se habere. Rationes Scaliger Exerc. 268. adfert duas: alias alij. Prima Scaligeri hoc fundamento nititur; species non miscentur. Si enim miscerentur, inquit Metaphysicus, fieret, ut essentia intenderentur ac remitterentur. At essentia omnis impartibilis. Altera huic principio superstructa est: ex duob. entibus per se non potest unum ens per se fieri. Probatio & declaratio videatur loco allegato. Prolixior enim est, quàm ut adscribi debeat. Alij, inter quos Averrões, Albertus M. & Aubertus, rationes contra vim muliebris seminis activã proferunt sequentes. I. quia si fœmina fœcundũ semen gereret, cum alterũ principium, nempe materiã, contineat, posset citra maris congressum ex se ipsã fœtum edere: ideòq; maris semen abundaret, & frustra concurreret: cum omnia, quæ ad generationem necessaria sunt, in se fœmina contineret. At consequens est falsum, ut præced. exerc. ostensum. II. quia in perfectiorum animalium generatione, sicut & in quavis aliã, necessariò duo requiruntur, agens & patiens, seu efficiens & materia. At notoriũ, marem agens esse: fœminã patiens. Sequitur ergò, maris semen procreatricẽ vim habere: fœminã nullam: sed tanquam materiã illi subjici. III. quia muliebri semen frigidum est, crudum, aquosum, & spiritibus vacuum: cum à sexu frigido, debili atq; imperfecto proficiscatur. Non ergò prolificum: quia tale calidum, crassum & coactũ, spirituosum, copiosũq; imprægnatũ spiritibus. At hoc à mare solum provenit. IV. quia ova subventanea, quæ gallina citra maris

B

opem

opem pariunt: rudiores mola, quas mulieres quandoq; proprij dur-
taxat seminis vi, nullo viri concubitu, concipiunt: deniq; ova pi-
scium à fæminis deposita satis demonstrant, prolificã virtutẽ fæ-
mineo semini non inesse. Ova quippe illa imperfecta sunt & ste-
rilia. In molis procreationis est quadã adumbratio, & rudis ma-
teria concretio, quã maris semen, si suis instructũ viribus accessis-
set, tanquã multò potentius, numeris & ornamentis omnibus ab-
soluisset. In piscium genere, cum fæmina ova deposuit, mas dein-
de illa semine conspergit. Quacunq; id attigerit, vitã assumunt:
reliqua autẽ irrita & à maris calore destituta contabescunt: teste
Aristot. l. 1. gen. an. c. mihi 20. Verùm ad hæc & similia alia
argumenta respondere non est difficile. Concedimus Aristo-
teli, si sexus cum sexu conferatur, marẽ, qui semen generat præ-
calidũ, spirituosum optimẽq; coctũ, ac ob id crassum atq; coactum,
καλὸν ἄριστον & formã, & efficientis principij titulũ mereri: fæmi-
nã verò materia & patientis: quia semen confert frigidius, debi-
lius, tenuius, aquosius, minusq; spirituosum. Sed ex hoc, quod
comparativè tantũ & κατὰ τὴν dicitur, simpliciter & absolutè in-
ferre non licet, fæmineũ semen nullã prorsus agendi generandiq;
facultatẽ habere. Habet enim, uti probatum: sed infirmiorẽ, quàm
masculẽ. Ergò comparativè tantũ & secundũ quid passivũ
& materiale principium statuitur. Ad primum Scaligeri ar-
gumentum respondemus, species non misceri, etiam si utriusq; se-
xus semina dicantur prolifica: quia specie inter se minimè diffe-
runt. Mas enim & fæmina, inquit Aristoteles l. 1. gen. an. c. ult.
licet animalia sint diversa, specie tamen idẽ sunt. Ad secun-
dum. Scaliger si negat, ex duobus entibus posse fieri ens unũ,
& sibi, & experientia refragatur. Sibi quidem: quoniã exerc.
106. sect. 6. scribit, ex tribus palmularum ossibus satis, tres quidẽ
inde exorituras palmas: sed illas coituras in unã uno stipite con-
tentã. Experientia verò: quia ex sulphure & Mercurio videmus
generari metallum: ex elementis vegetabile, minerale, animal:
ex asino & equã mulum. Cur ergò ex utriusq; sexus spermate non
generaretur homo? Ad primum aliorum jã respondimus probl.
1. Et si enim mulier & semen, & sanguinẽ, & locum generationis
præbeat:

praebeat: ejus tamen semen debilius est, quam ut per se solum ani-
 mal generare queat. Opus ergo & maris. Ad secundum. Et
 agens & patiens in generatione hominis concedimus, qui utrumque
 semen fecundum statuimus. Et maris semen *καλ' ἐξοχῶν* agens esse
 largimur: foemina, quia debilius, patiens: sed tantum, uti dictum,
καλὰ τὶ & comparativè: non simpliciter & absolutè. Ad ter-
 tium. Sperma foemineum suo in genere perfectum est: quia ipse
 quoque sexus perfectus. Prolificum ergo. Imperfectum si dicitur,
 eo respectu dicitur, quo foemina. Hac enim imperfecta putatur,
 sed respectu maris, quo, ut Philosophus ait, frigidior est & debi-
 lior. Crudum ergo, frigidum, & aquosum illius est semen: sed non
 simpliciter: verum facta collatione cum maris. Spiritibus plane
 vacare, falsum est. Exit enim cum saltu, & cum voluptate, &
 ex spirituofo gignitur sanguine: quoniam partem materiei habet
 à spermaticâ arteriâ. Ad quartum. Nil concluditur aliud, quam
 foemineum semen imbecillius esse, quam ut per se solum animal
 procreare valeat; quod haud in viti largimur. Sit ergo ratum,
 utrumque sexum semen proferre: utriusque semen esse prolificum &
 vim generandi habere: utrumque ad hominis generationem necessa-
 riò requiri: sed tamen semen viri calidius, siccius, spirituosius,
 spumosius, candidius, crassius, potentiùsque esse mulieris: ac propte-
 reà nobilius, potiorisque partes in generatione habere, & cum mu-
 lieris collatum, jure optimo nomen formae, agentis, efficientis, sive
 opificis gerere: mulieris contra materiae & patientis.

I V.

Vtrum utriusque sexus semen materiale & efficiens
 principium in se habeat? Sensus problematis est, an in utroque
 semine non tantum sit vis agens, sive movens, qua foetum formet;
 sed etiam patiens, ita ut ex eo, tanquam ex materia, partes foetus
 generentur, ipsumque semen foetus constitutionem ingrediatur? Vel,
 quod idem, an utrumque semen in generatione homini & activè &
 passivè concurrat? De muliebri semine duplex Philosophorum
 est sententia: alij illud prorsus negant, ut Aristoteles: ideoque

B z neq.

neq; vim agendi, neq; patiendi illi assignant, Nam non entis nulla sunt accidentia, nulla affectiones & ἐνέργεια. Nonnulli verò istud semen quidem concedunt: sed vi efficiendi præditum negant: ideóq; tantum ut materiam se habere dicunt, in quâ masculinum operetur: sicq; suo Dictatori Aristoteli subscribunt, quí l. 1. gen. an. c. 2. ait, marem in se principium motus & generationis habere: fœminam verò materiam conferre: marem similem esse cælo & soli: fœminam autem terræ. Vt enim cælum in terram agit, in eâq; & stirpes, & animalia, & metallica corpora gignit: terra autem materiam pro illorum generatione confert, & alterationes cælestium corporum, ac cum primis. Solis, suscipit: sic mas. movendi generandiq; principium est in alio: nimirum in fœminâ: hæc verò materiam pro fœtus procreatione & nutritione suppeditat, motusq; masculi seminis suo in utero sustinet. Idem lib. eodem c. 20. scribit, τὸ μὲν ἄρρεν παρῆχεται τὸ τὰ εἶδ' & καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως: τὸ δὲ θῆλυ τὸ σῶμα καὶ τὴν ὕλην. Et paulò post, τὸ ἄρρεν εἶναι ὡς κινῆν καὶ ποιεῖν: τὸ δὲ θῆλυ ὡς παθητικόν. Item, marem se habere ut fabrum & figulum: fœminam ut lignum & limum. Rationes, quibus Peripatetici activam vim muliebri semini derogant, eadem sunt cum ijs, quibus probatum, prolificum nõ esse. Nos in eo utrumq; principium, activum & passivum, seu efficiens & materiale, agnoscimus. Activum quidem & efficiens ratione caloris & spirituum: passivum verò & materiale ratione crassamenti, sive humidæ seminalis corporis substantiæ. Esse autem muliebri semen materiale principium, & embryonis ingredi constitutionem, extra controversiam est apud omnes, qui illius existentiam concedunt: ideóq; probatione nihil opus. Esse verò etiam in eodem principium ποιεῖν καὶ κινῆν, ex ijs liquet medijs, quibus prolificum id esse planum factum. Hoc solum addimus, materiei & corporis in muliebri spermate plus esse, quam principij efficientis. Esse quoq; hanc agentem & efficientem, seu fingentem & procreantem facultatem in eo longè debiliorem, quam in virili: adeò ut respectivè & comparatè loquendo, semen muliebri, ratione virilis, haud absurde, & subjectum, & materia, & patiens dici possit.

ci possit: seseq; ad illud quodammodo ita se habeat, quemadmo-
dum se habet fomes ad scintillam, argilla ad figulum, lignum ad
fabrum, lac concretum ad coagulum. De virili autem semine
sententia Aristotelis est l. 1. gen. an. c. mihi 20. illud purè &
merè activè sese habere: nec intrare, tanquam materiam, in con-
stitutionem partium: hoc est, esse purum putum principium effi-
ciens, agens, & movens: similèq; artificii, v. g. fabri, aut figulo.
Ut enim artifex suâ substantiâ opus à se confectum minime in-
greditur; sed duntaxat efficientis causa, & materiam sibi sub-
jectam disponentis vicem sustinet: sic quoq; semen maris ex-
trinsecus tantum menstruum mulieris movere atq; disponere: non
autem partium fetus materiam fieri putat. Idem repetit l. 2. gen.
an. c. 4. inquit, corpus & magnitudinem præberi à fœminâ: à
mare verò nihil tale fieri. Et paulò post ait, corpus ex fœminâ:
animam ex mare esse. Est ergò secundum Aristotelem, unicum
tantum proximum generationis nostræ principium, quod purè
activè se habet, nimirum semen masculine, à quo omnis partiū
delineatio & forma introductio: & sine quo materia à fœminâ
collata iners est atq; infœcunda. Hanc sententiam Aristoteles
toto allegato capite λόγῳ, καὶ ἔργῳ, ratione & operibus naturæ
probat. Ratio nititur hoc fundamento, quod ab omnibus conces-
sum. Fœmina, quâ fœmina, patiens est: mas quâ mas, agens, &
unde motus est principium. Uterq; enim sexus generationis est
principiū: mas per semen: fœmina per id, quod ad generationem
confert: teste eodem l. 1. gen. an. c. 2. Hinc tale enthymema face-
re licet. Si rerū omniū generationē consideremus, deprehendemus,
ex agente & patiente non ita unum effici, ut agens & movens in
eo, quod fit & movetur, insit, ejusq; substantiam ingrediatur.
Ergò neq; in hominis procreatione ex virili semine, quod agens,
quia ab agente principio profectū; & menstruo mulieris, quod pa-
tiens, quoniam à patiente prodijt, sic unum aliquid fiet, ut virile
semen illius pars sit, & in substantiam ejus convertatur. Sed si
unum ex utrisq; fieri dicatur, id eo modo intelligendum, quo le-
ctus ex fabro & ligno, aut globus ex cerâ & formâ unum fieri
statuitur. Quemadmodum autē lectus ex fabro, & globus ex formâ

est, tanquam ex causâ efficiente: ex ligno & atq; cerâ, tanquam ex
materiâ: ita quoq; homo est ex semine virili, velut agente & mo-
vente principio: ex menstruo autem, sicut ex materiali. Pluri-
bus enim modis aliquid ex alio fieri dicitur: nimirum vel tan-
quam ex termino à quo: vel tanquam ex materiâ: vel tanquam
ex contrario: vel tanquam ex efficiente: sic docente Aristotele
l. i. gen. an. c. mihi 18. Huic rationi Naturæ quoque opera
consentire scribit: idq; insectorum, piscium & avium exemplo
declarat. Etenim in insectis mares nonnulli per coitum semen non
immittunt, nec membrum ullum in fœminâ indere visuntur: sed è
contrâ fœmina particulam sui quampiam inserit in mare, & velu-
ti materiâ ad opificem adhibet; in quam deinde mas vaporem dur-
taxat & virtutem, seminis loco, conjicit. Gallinæ, quæ gallum
non expertæ, ova quidem pariunt integra atq; perfectâ: sed ὄρνιθια,
sterilia & irrita: quæ tamen fœcunda fiunt, si gallus commercium
cum gallinâ habuerit. Signum certissimum: fœminam solam ma-
teriam mare autem vim atq; potentiam conferre; nec aliquod ab eo
secedere, quod tanquam principium materiale in genito insit. In
genere piscium oviparorum si fœmina ova ediderit, mas semen
aspergit, & quacumq; attigit, fœcunda fiunt: quæ non, remanent
sterilia: quasi non ad quantitatem mas conferat: sed ad qualitatem.
Huic λόγος & ἔργον, ut Aristoteles loquitur, idem ex abundantia
duo alia argumenta ibidem annectit. Primum est: quæ diversa
sunt, diversimodè etiam ad generationem conferunt. Mas & fœ-
mina sunt diversa. Ergo. At fœmina materiam tantum præstat:
quæ causa est, quod per se sola generare nequeat, cum principium,
& id, quod movet discernitq; desideret. Ergo mas præbet princi-
pium motus: & per consequens non fit pars & substantiam fœtus.
Alterum. In quo sexu fit generatio hominis, & in quæ utriusq;
sexus principia generationis immittuntur, is materiâ suppeditat,
ex quâ constat, quod generatur. At in sexu fœmineo fit hominis
generatio, inq; fœminæ uterum & menstruum proprium, & ma-
ris semen immittitur. Ergo fœmininus sexus materiam illam
subministrat: & per consequens masculineus efficiens tantum prin-
cipium largitur. Minorem Philosophus probat. In quo sexu
conti.

continentur materia *γενεσιως, ὁπερ ἴσως καὶ ἀνεπίστωτος*, in eo fit generatio
hominis. At in sexu fœmineo illa continetur. Ergo. Con-
cludit itaq; Aristoteles, semen viri agens, movens, efficiens, &
quia forma principium ἐνεργητικὸν est, formam esse: mulieris verò
materiam & patiens. Quemadmodum autē ab efficiente, v. g. à
fabro, nihil secedit ad materiā lignorum, neq; faber operis sui
substantiam intrat: sed formam duntaxat aliquam per motum
materiei imprimit: & sicut anima, in quâ scientia est, manum,
aliamve partem, certâ motûs specie movet: manus autem instru-
mentâq; materiam movent: ita natura in hominis generatione
masculo utitur semine, tanquam organo, quod movendi fingen-
diq; facultatem habet. Hactenus Aristoteles. Contra quem
totus Galenicorum insurgit chorus: & in virili semine non
tantum efficiens, verum etiam materiale principium agnoscit.
Efficiens quidem longè potentius, quàm in muliebri: materiale
verò parcius. Credit ergo, semen istud non solum opificis, agen-
tis, moventis, aut formæ rationē habere, solâve qualitate, vti
& efficaciâ ad generationē accedere, & tantum menstruum, aut
muliebre semen, vivificare, ac formare: sed etiâ sustinere vicem
patientis & subjecti, sive materiei, ita ut mixtum cum muliebri
infœtus substantiam consumatur. Agentis quidem: quia calidū
& spiritibus undiq; perfusum: patientis verò: quia crassamentū
habet. Quod autem crassamentum seminis virilis reverà tanquā
materia sese fœtui exhibeat, sequentibus rationibus probamus. I.
quia fœtu genito, nihil amplius illius conspicitur. Conversum
ergo in ejus substantiam. Si dicas, conversum minimè esse, sed
vel abÿsse in vapores, & insensibiliter disparuisse: vel effluxisse
ex utero: vel intus mansisse ad tempus usq; partûs: Respondemus,
primum quidē tueri Aristotelem l. 2. gen. an. c. 3. sed fal-
sum esse paulo infra ostendemus. Secundum fieri non posse:
cum de sententiâ Hippocratis aphor. 51. sect. 5. gravidis ori-
ficiū uteri sit clausum: & ita quidem arctè secundum Galenum,
ut ne specilli mucronem admittat. Adde quòd semine masculo
in matricem infuso, & cum muliebri mixto, membranula, sive
tenuis pellicula, ut Hipocr. l. πρὸ γυναικῶν loquitur, statim generetur,
quæ

quæ utrumq; semen involvit: teste Galeno l. i. de sem. c. 7.
Quæ ergo effluere potest peculiari cysti contentum? Tertium ratio-
ni & oculari inspectioni repugnare. Nil enim seminis virilis, post-
quam muliebri animavit & finxit, in demortuarum utero ob-
servatum. Quod si usq; ad partum maneret, sanè putredinem con-
ciperet, & symptomata imprægnatis ea pareret, quæ extra impræ-
gnationis tempus retentum & putrefactum parere consuevit. II.
quia venas, nervos, & arterias ex aliquâ materiâ generari ne-
cesse est. At secundum Aristotelem non generantur ex semine
muliebri: quia hoc negat, & præter sanguinem menstruum atq;
matricem fœminam nil ad generationem conferre docet. Neq; ex
menstruo, quemadmodum Galenus l. i. de sem. c. 5. prolixè pro-
bat: ad quem locum studiosos remittimus. Ergo ex spermate vi-
ri. Viri ergo semen materiæ quoq; rationem habet. III. quia in
abortibus primorum dierum videmus, utrumq; semen consum-
ptum esse, & partes fœtus solidas quasi semen & lac coagulatum
representare. IV. quia primo formationis tempore parum, aut
nihil menstrui sanguinis ad uterum trahitur. Neq; prius attra-
hi ex uterinis venis potest, quàm umbilicalia vasa & involucria
fœtus sint genita. Per vasa enim illa sanguis maternus ad fœtum
derivatur. Ex quâ ergo materiâ gignuntur? Ex spermatene
mulieris? Atqui hoc Philosophus, contra quem jam disputa-
mus, planè rejicit. Ex menstruone sanguine? At is primis die-
bus nondum adest: quia nondum vasa umbilicalia formata. Ne-
cessum ergo est, ut Philosophus volens nolens concedat, eas ex
semine virili generari. V. quia novimus, semina plantarum
utramq; vim, activam scil. & passivam, in se habere, & substan-
tiam eorum in corpus & substantiam plantarum abire. Cur ergo
absurdum foret, dicere, etiam viri semen utrumq; principium in
se continere: præsertim cum hac ratione ista principia minimè
inter se confundantur? Nam semen virile non secundum idem
activum & passivum generationis primordium dicitur: sed se-
cundum crassamentum materiale: secundum verò virtutem pla-
sticam, spiritum atq; calorem efficiens.

V. Quid

Quid ad Aristotelis argumenta respondendum? Di-
 ctum fuit, Aristotelem l. 1. gen. an. c. mihi 20. alijs 21. & 22.
 καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ probare fuisse conatū, maris semen nullo modo
 materiei, sed tantū efficientis & moventis principij in hominis
 γενέσει rationē habere. Verūm λόγῳ, quo utitur, duobus nititur
 falsis fundamentis, vel saltē talibus, quæ sunt controversa. Pri-
 mum est: fæminā non semen, sed sanguinem duntaxat menstrū
 ad generationem conferre. At probatum jam à nobis, etiam semen
 suppeditare. Alterum: virum principium in generatione esse
 merè activum: fæminam merè passivum. Sed ostensum, utrumq;
 simpliciter & absolutè prolatum, falsum esse: verum autem, si mas
 duntaxat comparatè & respectivè agens: fæmina verò patiens
 dicatur. Si prius à Philosopho planum fuisset factum, fæmi-
 nam nil præter materiam & menstruum adferre; virum autem
 instar opificis & causa moventis concurrere: utiq; etiam rectè ab
 eo conclusum esset, quemadmodum nullum agens & efficiens prin-
 cipium effectūs sui substantiam ingreditur, sic neq; virile semen
 partem fætūs fieri. Ad exemplum petitum à reptilibus atq;
 insectis respondemus, pleraq; insecta masculei generis particulā
 aliquam sui corporis in fæmellas immittere, & per illam geniturā
 infundere. In paucis, nec nisi in ijs, quæ vermiculum progenerant,
 fieri, ut fæmella membrū aliquod in marē indat: etiam ipso Phi-
 losopho alleg. loc. attestante. Inde tamen minimè sequi,
 vim solū aliquam atq; virtutē efficientem, sive spiritum fætifi-
 cum, à mare præberi: materiam nullam. Varia enim in animalibus
 coeundi ratio est, pro varietate nature & constitutionis, sive
 dispositionis corporis: velut ipse docet Aristot. l. 5. hist. an. c. 2.
 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Et quæ, obsecro, consequentia ratio, fæmina partē
 aliquam insigit in marē: Ergò mas activum tantū confert prin-
 cipium: passivum & materiale nequaquam? An non fæmina in
 ejusmodi insectis excipere semen potest à mare? An non Aristo-
 teles ipse l. 1. gen. an. c. 20. al. 21. expressè dicit, marē ὑπότρετα καὶ
 δόναμι, humorem, (Gaza perperam vertit vaporem) atq; vir-
 tutem

tutē suppeditare? Quid hoc aliud, quàm marē conferre & efficiens & materiale principium? Illud enim per δὲ ἄνδρα: hoc verò per ὄρνιθας innui videtur? Ad exemplum desumptum à volatilibus dicimus, semen omninò à maribus emitti. Habent enim vasa spermatica, testes & penem. At illud non activum tantum est & movens principium, verum etiam passivum & materiale. Ratio est: quia & crassamento constat, & substantiâ calidâ atq; spirituosâ, quæ primarium organum facultatis plasticæ in semine delitescens. Quod Aristoteles dicit, ova subextanea, eâq; absoluta atq; perfectâ, corticēq; jam suo tectâ, & quasi incrustata, fœcunda fieri, si gallina rem cum gallo habuerit, durū est & vix credibile. Constat enim, gallū seminalē effundere humorem in uterum gallinæ. At quomodo is corticem ovi exteriorē, qui durus, & membranâ, corticem succingentē, & utrumq; ovi liquorē, albumen scilicet, atq; vitellum, involventē, quæ densa, permeat? Dices, totū verti in spiritū, hancq; spirituosam substantiâ, quia subtilissima, facile penetrare posse. Regerimus, fabulosum hoc esse. Cur enim non etiâ in vasis seminaris ipsius galli in spiritū conversus, cum gallus multò calidior gallinâ, humidâq; substantiâ citiùs atq; potentiùs attenuare, rarefacere, inq; halitū mutare queat? Ad exemplum deniq; ab aquatilibus, sive piscibus oviparis, depromptū respondem⁹, eo nil probari aliud, quàm quòd solius fœminæ semen ad generandum sufficiens nō sit: sed insuper etiâ maris requirat. Hinc quæ fœminæ ova maris consperguntur geniturâ, fœcundantur: quæ non sterilia manent. At hoc in controversiam nunquā venit. Venit solum, an nō etiâ maris semen principium materiale quadâ sui parte fiat, prolisq; genitæ substantiâ ingrediatur? Pergamus ad duo Aristotelis argumenta posteriora. Primum ad prius. Quæ diversa sunt specie, diverso planè modo ad generationē concurrunt: ut sol & homo ad procreationē hominis. At mas & fœmina diversa quidē sunt numero: specie autē eadem sunt: teste Aristotele l. 1. gen. an. c. ult. Ergò non necesse, ut alterum solis agentis: alterum solius patientis rationem habeat: sed veritati & rationi consonum est, utrumq; & activâ, & passivam virtutem suo in semine habere: magis tamen activâ
marem:

marem: magis verò passivā fæminā. Ex quo mas etiam, comparatè loquendo, agentis: fæmina autem patientis nomen mereatur. Ad posterius. Nihil concluditur aliud, quàm quòd fæmina materiā pro hominis generatione subministret: quod utringq; in confesso est. Sed non probatur probandum: scil. fæmineū semen merè passivè: masculineū merè activè concurrere: illud ut lignū & limum. hoc ut fabrum & figulum se habere.

V I.

Quid sentiendum de fine & usu, quem Galenus muliebri semini assignavit? Ex l. 14. de us. part. c. 11. l. 1. de sem. c. 7. & l. 2. de sem. c. 1. & 4. colligimus, Galenum semini fæminarum quintuplicè usum assignasse. Primus est: ut generet membranā fætūs, quæ dicitur ἀλαυτοειδής, quia intestino & sarcimini similis. Secundus: ut nutriat semen virile. Est enim, inquit l. 14. us. part. c. 11. illi familiarius, quia similis. At quod nutritur, similibus nutritur facilius. Libro v. 1. de sem. c. 7. & l. 2. eiusdem operis c. 4. scribit, causam hanc esse, quia sit tenuius, humidius frigidiusq; semine virili, quod crassius, siccus atq; calidius. Tertius: ut fæminā ad libidinem & συνβολαν conjugale stimulet atq; irriter. Si enim, ait Galenus, l. 2. de sem. c. 4. fæmina semine careret, ne quidem congressum cum viro appeteret unquam. Idq; castrarum suum exemplo confirmat, quæ ἀγροί, & propterea etiam Venerei actūs immemores. Nos id etiā exemplo cantheriorum, veruecum, caprorum, caporū, aliorūq; animalium, quibus testes excēti, & vis generandi seminis adempta, stabilire possumus. Quartus: ut interiora uteri oblinat ejusq; vias humectet, & cum coit cum mare, collum matricis aperiat. Quintus: ut semini virili permistum hominem generet. Ex ambob. enim unum fit semen: ideòq; & animal unum, Homo. Nos primū usum repudiam⁹: quia duo tantūm fætūs humani involucra sunt: alterum externū, quod fætum circundat medietè: alterum internū, quod fætui contiguum. Tertium, quod ἀλαυτοειδής, non in humano, sed ovillo, bovino, & alijs quibusdam fætibus reperitur. Externum Græci vocant χόσιον, χόσιον, καὶ χόσιον: vel ἀπὸ τῆς χόσας, quòd sit fætūs veluti regio, sedes ac domicilium:

item

item quod unà cum fœtu $\chi\omega\sigma\epsilon\iota$, procedit. Aliquando enim cum fœtu: nonnunquã post eum exire conspicitur. Vel $\alpha\pi\omicron\tau\epsilon\chi\omega\sigma\epsilon\iota$, à choro: quoniam in eo, tanquam in choro quodam, multa vena atq; arteria copulata sunt. Latini id secundas & secundinam nominant: quod nascentẽ fœtum ut plurimum sequatur. Quanquã hoc nomen etiam generalius ad ea omnia, quæ post fœtum exeunt, ut tunicam fœtus alterã, de quã mox, vasa umbilicalia, & placentã carneã, seu hepar uterinum, extendatur. & ab obstetricibus nostris die Nachgeburt/oder dz Nachgebürtlin dicatur. Internũ Græci $\alpha\mu\epsilon\iota\omicron\nu$, & $\alpha\mu\epsilon\iota\omicron\nu$ nominat: vel $\alpha\pi\omicron\tau\epsilon\alpha\mu\epsilon\iota\omicron\nu$, ab agno: quoniã album, molle & tenerũ, sicut agni lana: vel $\alpha\pi\omicron\tau\epsilon\mu\epsilon\upsilon\epsilon$, quasi sit $\alpha\upsilon\epsilon\upsilon\mu\epsilon\upsilon\epsilon$, sine viribus & robore. $\tau\omicron\gamma\alpha\varsigma\mu\epsilon\upsilon\epsilon$ non tantum $\delta\upsilon\mu\omicron\nu$, hoc est, animum, sive ardorem animi, & impetum animi concitati, quo quis irruentem excipere hostem paratus est; verum etiam vim & robur significat. Latini amiculum vocant: quod amicẽ & proximẽ fœtum investiat. Secundum usum, si de verã & propriẽ dictã nutritione loquatur, quã nutrimentum in nutriti substantiam vertitur, itidem improbamus. Non enim muliebri semen faceßere in substantiam virilis debet: sed unã cum illo materia esse generationis fœtus. Aliã enim unum tantum semen foret. At ex unius solius sexus semine nihil generari posse, ex dictis liquet. Tertium admittimus. Quartum non item: sequentibus de causis. Primum, quia semen mulieris oblinire latera uteri minimẽ tenetur: sed effundi in ejus cavitatẽ, misceri cum masculeo, iisdem postea involvi membranis, sicq; ab utero quasi separari. Deinde, quia uterus mucoso humore, qui ex propriã ejus nutritione resultat, non secus rigatur & humectatur, atq; ventriculus, intestina, articuli, &c: muco illo, qui post nutritionẽ illorum residuus. Tertio, quia matricis collũ, sive cervix, per se aperta est. Est enim canalis longus atq; amplus, ab interno uteri orificio usq; ad pudendũ protensus, vagina instar membrũ virile recipiens. Quid ergo apertione opus? Quod si muliebri semen cervicem aperiret, ad eam sanẽ concederet, & laxando humectandq; hoc præstaret. At sic nõ in utero maneret: sed efflueret: ideõq; generationem vanam & irritam redderet. Quintũ pro vero, genuino & principali agnosimus.

F I N I S.

01 A 6570


ULB Halle 3
002 937 867




12

6017





21



TIO
 C A
 CVNDA.
esium Aca-
ita:
 E
 EBIZIO
 e ac Pro-
 CO:
 SEÜBERTO,
 hico.
 RATI,
nes Andrea.
 X V.

